

lares, vel non esse usu receptum, vel denuo per contrariam consuetudinem abrogatum. Solent enim clerici illi passim in testamentis, aliisque contractibus laicorum, ex generali consuetudine in testes adhiberi, etiam sine alia licentia superioris ecclesiastici: prout refert Farinacius cit. n. 64. post Aretinum consil. 159. n. 20. et alios; ac Pirhing cit. n. 60. Verum quoad monachos, aliosque Religiosos, qui strictius per votum obedientiae suis superioribus propter Deum se subjece- runt, oportet observare laudabiles cajsuslibet ordinis constitutiones, et consuetudines.

185. *Stante rigore juris canonici, validum est testimonium clerici, vel monachi, in causis civilibus laicorum sine licentia superioris.* — Quin etiam stante dicto rigore juris canonici, si clericus sine licentia episcopi, aut monachus absque consensu sui praelati, sponte deponat, et a iudice saeculari admittatur ad ferendum testimonium super instrumentis; aliisque alii causis civilibus laicorum; tunc, etsi illud foret illicitum, nihilominus validum existeret, parte altera nihil opponente; tum quia licentia superioris est quoddam accidentale, non autem de substantia actus testimonii, arg. cap. i. de Testib.; tum quia multa fieri prohibentur, quae si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem, c. Ad Apostolicam. 14. de Regular. Simulque, quia nullibi reperitur, tale testimonium a jure declarari irritum, ac invalidum. Abbas cit. c. Cum nuntius. n. 3. et 4. et Felinus ibid. n. 3. h. t. ex professo hanc quaestionem examinantes; Mascardus de Probat. concl. 260. n. 12. et 13; Farinacius cit. quaest. 61. n. 84. et 134. allegans plures alios. In praxi tamen (monent citati auctores) consultius est, ad effugendum dubietates habere licentiam superioris: nam quod testamentum possit impugnari, in quo monachus absque sui superioris licentia est testis, eo quod pro mortuo habeatur, tradidit Jo. Faber, § Testes. n. 3. Instit. de Testament. junctis nonnullis aliis, quos in oppositum citat Mascardus d. concl. 260. n. 1. et 2.

§ VII.

DE TESTIBUS IN CAUSA PROPRIA, VEL ECCLESIAE, AUT UNIVERSITATIS SUE.

186. *Regula est: Nullus idoneus testis in re sua intelligitur. Testis debet carere omni suspitione falsitatis, seu propensionis in*

unam partem. — Quæritur I. An aliquis possit esse testis in causa propria, seu ex qua commodum ac interesse suum dependet? Resp. I. Regula est: « Nullus idoneus testis in re sua intelligitur. » Ita textus in l. Nullus. ff. de Testib. quæ est canonizata in can. Si testes, § Nullus. 4. q. 3. Concordat textus in l. Omnibus. C. eod. illis verbis: « Omnibus in re propria dicendi testimonii facultatem jura submoverunt. » Quod ipsum habetur cit. can. Si testes. § Omnibus, et quæ recepta doctorum sententia; adeo, ut contradictorem non habeat, teste Farinacio quaest. 60. de Testib. n. 2. Accedit ratio, quia testis debet carere omni suspitione falsitatis, seu propensionis in unam partem magis, quam in alteram can. Placuit sancto, et can. Si testes. § I. caus. 4. q. 2. et 3. Atqui istud non reperitur in teste respectu causæ propriæ; cum ob naturalem inclinationem quilibet præsumitur esse magis affectus erga rem propriam, quam alienam, ergo, veluti suspectus, merito repellitur a ferendo testimonio in causa propria.

187. *Testis in propria causa non est idoneus, etiamsi deponat in mortis articulo. Aut in ultima voluntate debitam sibi pecuniam significaverit.* — Atque istud ampliatur, etiamsi testis deponens in causa propria, constitutus sit in mortis articulo. Quia, licet tunc quilibet præsumatur non immemor esse propriæ salutis, sicque nolle pejerando attestari falsum; nihilominus ob rationem jam dictam, testimonium ejus in causa propria non est idoneum. Farinacius cit. n. 2. post Nattam consil. 74. n. 4. et plures alias ampliationes subjungens. Huc facit textus in l. Rationes. C. de Probation. ubi dicitur, quod attestatio scripta cujuscumque se sola non sufficiat ad probandum, « etsi in ultima voluntate defunctus certam pecuniæ quantitatem, aut etiam res certas, sibi deberi significaverit. »

188. *Etiam ille est testis idoneus, qui habet interesse in causa. Causa propria, quæ dicitur? — Resp. II. Etiam ille est testis idoneus, et repellendus a dicendo testimonio, qui habet interesse in causa; puta, quia ex suo testimonio commodum, aut, si non testificetur, incommodum sit reportaturus. Ita Glossa in d. can. Si testes. 4. q. 3. y. Sud, istud exemplificans in re communi: quia, quod commune est, utriusque est, l. Hæd. ff. de Ritu nuptiar. Farinacius cit. quaest. 60. n. 4; Pirhing. h. t. n. 79. et alii. Ratio est, quia « Causa propria dicitur ea, cujus emo-*

lumentum, vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet; » prout loquitur textus in l. I. § In propria. ff. Quando appellandum sit. et can. Biduum. § Et palam est. 2. q. 6. Ergo, cum in propria causa nemo sit testis idoneus, idem dicendum, ubicumque aliquis habet interesse in ea; seu quando commodum, aut damnum inde sibi obventurum est suo nomine. Et notanter hoc ultimum additur, propter dicenda n. 212. et seqq. conformiter quibus præsens conclusio est intelligenda.

189. *Advocatus, procurator, etc., nequit esse testis in causa, cui patrocinium gessit.* — Atque isthæc conclusio ampliatur ad advocatum: nam etiam advocatus non potest esse testis in causa cui patrocinium præstitit, l. ult. ff. h. t. juncta Glossa fin. ibid. istud extendente ad syndicos, tutores et curatores. Concordat c. Romana. h. t. in 6. ubi dicitur: « In appellationis causa, is qui appellantis procurator vel advocatus in priori judicio fuerat, non recipiatur in testem. » Idque merito statutum fuit propter propensionem animi sui voluntatem in causam illam, cui advocatus antea patrocinium præstitit: unde est præsumptio, quod ferret testimonium potius pro ea parte, pro qua antea stetit. Speculator tit. de Teste. § Opponitur. 74. Mascardus de Probat. concl. 66. n. 1. citans plures alios: quamquam hoc ipsum postea limitet variis modis, ac præsertim accedente consensu partium; nam quod de voluntate partium etiam mediator testificari cogatur, textus est in auth. de Testibus. § Quoniam vero. collat. 7.

190. *Illi, qui habent simile negotium huic, ad quod testes inducuntur, non sunt in testimonium admittendi.* — Ampliatur ulterius data conclusio, ut procedat etiam in illis, qui habent simile negotium huic, ad quod testes inducuntur. Siquidem isti, ob præsumptam affectionem, quam « morbo consimili laborantes » (hoc est, similem causam habentes, de qua aliunde constat, vel legitima probatio adest) gerunt erga propriam causam, sive negotium suum, non sunt testes idonei, « nec si ab alterutra parte testes adducti fuerint, in testimonium admittendi. » Ita loquitur textus in c. Personas. 20. h. t. ubi proin Glossa in casu, generatim notat, quod « qui consimilem causam habet, in causa consimili testis esse non debet. » Hoc ipsum amplius tradit Abbas ibid. n. 1. et 2. et Vivianus in Rationali, et Barbosa in Collectan. n. 2. et Mascardus de Probation. concl. 1364. n. 54. et alii. Sicut enim judicem similitudo causæ, quam

habet ut privatus, repellit a iudicio in alia consimili causa, ne forsitan ductus affectione suæ causæ, quam justam putat, sic judicet in causa alterius, c. Causam. quaest. 19. de Judiciis, estque jam dictum supra tit. I. de Judiciis. § 8. n. 205. Ita etiam (et quidem a fortiori, ob majus periculum, de quo supra § 2. n. 63.) similitudo causæ reddit testem suspectum, ut possit repelli a testificando, cit. c. Personas. h. t. et l. Quoniam. c. eod.

191. *Ad faciendam videlicet plenam probationem; secus ad aliqualem præsumptionem.* — Intellige, quod testes consimilem causam habentes reddantur suspecti, nec sint « in testimonium admittendi » (juxta textum allegatum) parte contra eos excipiente: simulque, quod non sint admittendi in effectu, seu quantum ad faciendam plenam probationem. Nam ad aliqualem præsumptionem bene possunt admitti, considerata qualitate causæ, et personarum, qua inspecta bonus iudex arbitrabitur quanta fides ipsis sit adhibenda. Abbascit. c. Personas, n. 2. et Vivianus ibid. h. t.

192. *Regula illa limitatur, si testis cum juramento protestetur, se nolle commodum sentire ex sua depositione.* — Resp. III. Patitur nihilominus data conclusio, seu regula quasdam limitationes. Et primo quidem ipsa limitatur, si testis ante depositionem suam cum juramento protestetur se nolle commodum sentire ex sua depositione, aut incommodum inde proveniens ad se non pertinere: tunc enim etiam in causa, ad quam cæteroquin præsumptam affectionem gerere censeretur, validum testimonium dicere poterit, eo quod ejusmodi præsumptio per dictam protestationem elidatur. Ita Socinus in Fallentiis, reg. 422. fallent. 1; Mascardus cit. concl. 1364. n. 57; Farinacius d. quaest. 60. n. 51. et 52. allegans plurimos alios.

193. *Limitatur etiam in testibus multum legalibus.* — Limitatur deinde in testibus multum legalibus, et fide dignis: quia tales admittuntur ad testificandum, haud obstante, quod eorum aliqualiter intersit. Mascardus loc. cit. n. 58. post Imolam concil. 58; Farinacius, ubi supra, n. 54. citans alios.

194. *Limitatur etiam in causis modici emolumentum.* — Idem dicendum in causis modici emolumentum: quia tunc cessat præsumptio immoderate affectionis; simulque ob modicum emolumentum leges neminem præsumunt velle pejerare, arg. c. Et si quaestiones. 18. de Simonia. Mascardus n. 60; Farinacius n. 56; Pirhing h. t. n. 81.

195. *Et ubi testis deponit de facto proprio ad utilitatem aliorum tantum.* — Limitatur tertio ubicumque testis deponit de facto proprio ad utilitatem aliorum tantum: quia tunc pariter cessat præsumptio sinistrae affectionis, ac proinde hoc casu plenam etiam faciet probationem. Socinus cit. reg. 422. fallent. 3; Mascardus loc. cit. n. 63. Ubi n. 61. cum aliis, quos citat, hoc ipsum dicit de illis, qui solent aliquid facere pro exercitio, seu officio suo; puta, portare, ut fachini, et hujusmodi: hi enim, licet ad sui exonerationem (seu, quod satisfecerint officio suo) sicque ad aliqual commodum suum deponere videantur, nihilominus probant ea, quæ ad suum officium pertinent.

196. *Item in instrumentis. Hæres nequit esse testis in testamento, bene tamen legatarius: et cur?* — Tandem, ut nonnullæ aliæ limitationes, apud auctores hactenus citatos videndæ taceantur, fallit data regula in instrumentis: his enim testes esse possunt etiam habentes inde commodum, vel interesse in consequentiam, non autem principaliter. Farinacius d. quæst. 60. n. 62. post Angelum in l. *Qui testamento*, n. 3. ff. *de Testament.* et Campegium *de Testib.* reg. 75. in 1. fallent. Sic in testamento legatarius potest esse testis, non obstante aliquo emolumento inde sibi proveniente: licet hæres scriptus non possit esse testis, § *Sed neque hæres.* et § *Legatarius.* Instit. *de Testament.* juncta Glossa ibid. §. *Legatarius.* Disparitas est, quia hæres, est juris successor; non sic legatarius, utpote qui non juris, sed rei singularis successor existit: unde legatarius fert testimonium non in causa sua, sed in causa testamenti. Neque etiam ex eo, quod valet testamentum, necessario sequitur quod valeat legatum; prout notat alia Glossa l. *Omnibus.* §. *In re propria.* C. *de Testib.* ac proinde legatarius ex suo testimonio non reportat commodum principaliter et directe; licet istud indirecte, et in consequentiam quandoque reportare possit. Et idem dicendum de similibus, prout amplius declarabitur infra n. 212. et seqq.

197. *Prælati, alique clerici possunt esse testes in causa Ecclesie suæ.* — Queritur II. An sit licitum clericis, ferre testimonium in causa propriae Ecclesie? Resp. I. prælati, alique clerici possunt esse testes in causa civili Ecclesie suæ; dummodo non subsit alia rationabilis causa, illos impediens a testificando. Ita Glossa in c. *Insuper.* §. *Ecclesie.* et Abbas ibid. not. 1. et Felinus n. 1. et

Barbosa in *Collectan.* n. 1. h. t. Sperellus Decis. 81. Feri Ecclesiast. n. 47. quæst. 60. Socinus in *Fallentiis.* reg. 408. allegans communem. Idque patet ex c. *Cum nuntius.* 12. h. t. ubi dicitur: « Clerici non sunt a ferendo testimonio super negotia Ecclesie suæ (nisi alia rationabilis causa impediatur) repellendi. » Accedit ratio: quia imprimis clerici, qui tractant Ecclesie negotia, meliorem quoad ejas possessiones et jura, tum ex visu, tum ex auditu, præ aliis censentur habere notitiam; ut dicitur can. *Super prudentia.* 14. quæst. 2. Deinde jus Ecclesie, non est jus proprium clericorum; ergo male repellerentur clerici a ferendo testimonio in causis Ecclesie suæ. Antecedens partim patet ex eo: quia bona Ecclesie sunt bona Dei, et patrimonium Christi, can. *Quia tua.* et can. *Res Ecclesie.* 12. quæst. 1. cum concordantiis. Partim amplius patebit ex textibus n. 213. allegandis, ex quibus clare habetur, quod bona universitatis non sint bona singulorum.

198. *Etiam istud intelligendo de clericis regularibus.* — Et hæc doctrina, quod clerici possint testificari in causis suæ Ecclesie etiam in favorem ejusdem, procedit non solum de clericis sæcularibus, sed etiam regularibus: nam et hi pro suo monasterio testes idonei reputantur: tum quia jure loquuntur indistincte: tum quia pontifex in c. *Insuper.* 6. h. t. expresse concedit priori, et fratribus SS. Trinitatis, ut liceat ipsis in causis propriae Ecclesie ferre testimonium. Accedit, quod rationes proxime allatæ æque militent in clericis regularibus, imo fortius in istis, quia sunt mortui mundo, l. *Deo nobis.* C. *de Episcop. et cleric.* nihilque proprii possident. can. *Non dicatis.* 12. q. 1. cum similibus; sicque in ipsis magis cessat præsumptio affectionis, ac suspicio proprii interesse. Baldus c. *Tertio loco.* n. 4. *de Probation.*; Abbas cit. c. *Insuper.* n. 1. h. t.; Mascardus concl. 3. n. 11. et 12.; Pirhing h. t. n. 101.; Farinacius quæst. 60. *de Testib.* num. 463. et seqq. istud cum aliis etiam extendens ad moniales, et n. 544. plurimos alios allegans.

199. *Exemplificatur hoc in donatione, vel legato facti Ecclesie.* — Exemplificatur, et declaratur data conclusio inductione. Sic quando agitur de donatione, vel legato facti Ecclesie, monasterio, aut alteri universitati, pro ædificiis v. g. extruendis, aut reficiendis, possunt clerici, aut alii de universitate illa esse testes idonei: nam tale v. g. lega-

dom non afficit singulos de universitate, sed solum universitatem: unde cessat præsumptio pravæ affectionis; et si quæ remaneret levis suspicio ipsius, hæc purgatur per juramentum testium. Felinus c. *Insuper.* n. 1. h. Menochius *de Arbitrar. judic.* lib. II. cas. 106. n. 4. Bartolus l. *In tantum.* § *Universitatis.* n. 1. ff. *de Rerum divis.* Alexander consil. 68. n. 14. istud exemplificans de molendino spectante ad universitatem, seu Ecclesiam. Farinacius. d. quæst. 60. n. 472. citans alios.

200. *Canonici possunt esse testes in causa sui capituli, ad ejus favorem.* — Deinde canonici possunt esse testes in causa sui capituli, atque ad ejus favorem. Glossa in casu, can. *Super prudentia.* 14. q. 2. juncto textu ibid. Ubi de mandato Paschalis II. canonici S. Stephani, in causa civili sui capituli, admittuntur in testes contra canonicos S. Joannis, addita illa ratione: « Cæterum in possessionum, vel hujusmodi negotiis hi potissimum assumendi sunt, qui eadem negotia tractaverunt, de quorum auditu, et visu, dubitatio esse non potest. » Baldus c. *Tertio loco.* n. 3. et 4. *de Probation.* Mascardus *de Probation.* concl. 260. n. 6. et 9. Farinacius cit. quæst. 60. n. 60. allegans alios.

201. *Canonici possunt esse testes in illis, quæ sunt gesta in capitulo.* — Tertio canonici possunt esse testes eorum, quæ sunt gesta in capitulo; puta, in electionibus, et hujusmodi, quæ secreto inter ipsos capitulariter fieri solent. Glossa d. c. *Tertio loco.* §. *Jurati.* *de Probation.*; Bartolus l. *In tantum.* § *Universitatis.* n. 1. ff. *de Rerum divis.*; Menochius *de Arbitrar. jud.* lib. II. cas. 106. n. 1. citans alios. Idque clare desumitur ex c. *Veniens.* 38. § fin. h. t. ubi hoc ipsum expresse concessum legitur, addita illa ratione: « Quia, quæ in capitulo aguntur, non possunt facile nisi per canonicos ipsos probari. » Idem habetur ex c. *Cum dilectus.* 32. § *Nos attendentes.* *de Election.* ubi pontifex jussit, tres electores præstito juramento dicere, quot ex canonicis in electum consenserint.

202. *Consuetudo non solvendi episcopo quartam decimarum, et hujusmodi, potest probari per rectores vicinarum Ecclesiarum.* — Quarto, consuetudo non solvendi episcopo quartam decimarum, et hujusmodi, potest probari per rectores vicinarum Ecclesiarum, attestantes de generali consuetudine easdem non solvendi; quamvis in consequentiam videantur deponere circa id quod concernit proprium eorum commodum. Joan. Andreas c. *Sine*

possessione. n. 8. vers. *Primo casu.* *de Reg. jur.* in 6; Felinus c. *Insuper.* n. 17. h. t.; Mascardus *de Probation.* concl. 1364. n. 60; Farinacius cit. quæst. 60. n. 494. et alii ab his relati.

203. *Potestque unus canonicus esse testis in causa sui concanonici.* — Quinto, potest unus canonicus esse testis in causa sui concanonici. Glossa in c. *Super prudentia.* 14. q. 2. §. *Stephani.* istud intelligens in casu, quo unus canonicus inducit suum canonicum in testimonium contra alium concanonicum ejusdem Ecclesie: quia tunc par affectionis causa excludit suspicionem. l. *Non solum.* ff. *de Ritu nuptiar.* estque in simili jam dictum supra § 4. n. 107. Vel etiam contra canonicum alterius Ecclesie; imo et contra suum prælatum, ut can. *Lator.* 2. q. 7. Concordat alia Glossa in c. *Cum R. Canonicus.* §. *Cum sint ejus socii.* et Abbas ibid. n. 4. et Felinus n. 3. *de Offic. delegat.* Mascardus *de Probation.* concl. 260. n. 7. Farinacius d. quæst. 60. n. 460. et 461. citans alios.

204. *Ex causa rationabili quandoque impeditur clericus testificari in causa suæ Ecclesie: ut si est excommunicatus.* — Resp. II. Nihilominus data n. 197. conclusio nonnullas patitur limitationes, ratione quarum notanter in ea fuit additum: « Dummodo non subsit alia rationabilis causa, illos impediens a testificando. » Sic quippe incipiendo a generalioribus, talis causa rationabilis, impediens clericum a testificando in causa suæ Ecclesie, potest esse excommunicatio, perjurium, infamia, vel aliud grave crimen ipsius. Abbas c. *Cum nuntius.* n. 1. h. t. junctis illis, quæ per præcedentes paragraphos copiosius dicta fuerunt.

205. *Vel quando in tali causa constitutus est actor, vel responsalis.* — Deinde descendendo ad specialiora, clericus nequit esse testis in causa suæ Ecclesie, quando in eadem causa constitutus est actor, vel responsalis seu procurator, qui nomine ipsius Ecclesie, seu universitatis causam exerceat: siquidem nemo potest simul esse actor, et testis, in eadem causa. Textus est in c. *Insuper.* 6. h. t. ubi Glossa in casu. Joan. Andreas, Abbas, Felinus in *Summario*; Farinacius cit. quæst. 60. n. 526. allegans alios.

206. *Clerici nequeunt testificari in causa suæ Ecclesie, quando commodum inde proveniens est singulorum.* — Tertio, prædicta conclusio, seu regula procedit, solum in causis illis, in quibus agitur de rebus, quæ quoad nomen et

commodum immediatum sunt Ecclesiae, seu universitatis; puta, quando hæc per suos officiales percipit redditus, sive (ut alii loquuntur) quando causa tractatur de rebus, quarum proprietas, simul et utilitas, est ipsius Ecclesiae, monasterii, vel alterius universitatis. Secus, quando commodum, seu utilitas inde proveniens est singulorum, licet proprietas sit Ecclesiae, seu universitatis: quia tunc clerici pro tali negotio suae Ecclesiae, vel singuli de universitate, non sunt testes idonei; testificarentur enim in re propria, seu ejus commodum singulis eorum immediate obveniret. Ita Joan. Andreas c. *Cum nuntius*. n. 4. h. t.; Abbas c. *Insuper*. n. 2. et Felinus n. 6. eod.; Alexander consil. 168. n. 14. lib. II; Mascardus de *Probat.* concl. 318. n. 3. Farinacius cit. quæst. 60. n. 493. et seqq. usque ad n. 507. allegans alios, et fuse hanc materiam declarans.

207. *Hinc canonicus non est testis idoneus in causa suae præbendæ.* — Hinc canonicus non potest esse testis idoneus in causa suae præbendæ: quia licet in genere omnes præbendæ spectent ad capitulum, nihilominus earum redditus immediate obveniunt singulis canonicis specialiter deputatis; atque ideo merito canonicus repellitur a ferendo testimonio in causa suae præbendæ, cum agatur de proprio et speciali commo ipsius. Abbas d. c. *Insuper*. n. 7. et Felinus ibid. n. 6. h. t.; Mascardus de *Probat.* concl. 3. n. 19. et concl. 1364. n. 29. istud ampliatis ad episcopum, vel abbatem, quos pariter negat posse ferre testimonium in rebus spectantibus ad mensam suam. Farinacius d. quæst. 60. n. 462. citans alios.

208. *Et prælatus Ecclesiae non collegiatae nequit esse testis in causa ipsius Ecclesiae.* — Similiter prælatus Ecclesiae, vel capellæ non collegiatae, nequit esse testis in causa ipsius Ecclesiae. Ita Joan. Andreas in *Addit. ad Speculatorem*, tit. de *Teste*. n. 24. §. *Dominicalis*, distinguens inter prælatum Ecclesiae collegiatae, de quo hactenus dicta procedunt, et inter prælatum capellæ, in quo (inquit) dum manet prælatus, data regula non procedit. Idem tenet Socinus in *Fallentiis*, regula 408. fallent. 4. Nec immerito: nam redditus Ecclesiae non collegiatae immediate proveniunt prælato, seu rectori ipsius: unde procedent proxime dicta de Canonico non admittendo ad testificandum in causa suae præbendæ.

209. *Loquendo de causis criminalibus, pos-*

sunt quidem clerici in causa suae Ecclesiae testificari contra prælatum. Vel conclericum suum ab alio accusatum. — Resp. III. Loquendo nunc de causis criminalibus, quamvis clerici in causa suae Ecclesiae possint testificari contra prælatum, vel conclericum suum, ab alio accusatum: nihilominus quando criminaliter accusatur aliquis extraneus in causa Ecclesiae, vel alterius universitatis, tunc clerici, vel alii de tali universitate assumpti non sunt testes idonei ad testificandum in favorem hujus contra illum extraneum. Ita Speculator tit. de *Teste*. § I, n. 22; Menochius, de *Arbitrar. judic.* cas. 106. n. 17; Felinus c. *Insuper*. n. 4. h. t. allegans communem. Et quidem prior pars patet ex can. *Lator*. 2. q. 7. et c. *Ex parte*, 11. de *Accusat.* cum similibus; ubi tales accusationes, et testificationes clericorum contra episcopum, vel monachorum contra abbatem suum factæ, et permisæ leguntur. Accedit ratio, quia tunc cessat præsumptio sinistrae affectionis, cum clerici in testes adducti non magis reputentur esse domestici, et familiares alterius conclerici prælatum accusantis, quam ipsius prælati accusati: unde par affectionis causa tollit sinistram suspicionem, prout in simili jam dictum est supra § IV. n. 104. et n. 127. Et hæc ratio pariter militat respectu conclerici ab alio accusati.

210. *Non vero contra extraneum in favorem Ecclesiae.* — Altera pars habetur decisa in can. *Super prudentia*. 14. q. 2. eamque præter jam allegatos tradit Abbas in cit. c. *Insuper*. n. 3. h. t. Speculator, ubi supra num. 22. generaliter docens, quod si aliquis de universitate accusat extraneum, non possit testem inducere socium, qui est ejusdem universitatis, nisi in defectum. Mascardus, de *Probat.* concl. 295. n. 14. et seqq. Farinacius d. quæst. 60. n. 508. et seqq. allegans alios. Accedit ratio, quia in criminalibus requiruntur probationes indubitatae, et luce clariores, l. *Sciant cuncti*. C. de *Probat.* et testes omni suspicione, maculaque carentes, cap. 1. *Exception.* et can. *Testes*. 2. q. 7. Atqui tales testes non sunt, qui producuntur de universitate in ejus favorem. utpote quibus potest opponi exceptio familiaritatis, et qualis proprii interesse: ergo ipsi merito repelluntur. Nisi forsan necessitas, seu defectus aliarum probationum, tales suadeat esse admittendos ad testificandum in subsidium, seu ne deficientibus aliis testibus veritas occultetur, atque injustus existimetur probus,

§ VII. DE TESTIBUS IN CAUSA

In grave præjudicium Ecclesiarum; prout limitant auctores proxime citati.

211. *An pariter illi, qui sunt membra universitatis sæcularis, possint esse testes in causa ejusdem? Proponuntur rationes dubitandi, ac negativam tenendi.* — Quæritur III. An pariter illi, qui sunt membra alicujus universitatis sæcularis v. g. civitatis, oppidi, etc. possint esse testes in causa dictæ universitatis? Ratio dubitandi, ac negativam tenendi, est: quia jura n. 197. allegata, et clericos ad testimonium in causis suae Ecclesiae admittentia, solum loquuntur de clericis, de quibus utpote Deo specialiter consecratis, vel propter Deum omnia temporalia relinquuntibus, magis præsumitur, quod in causa suae Ecclesiae nolint pejorare, falsum attestando: simulque, quia clerici ratione sacri ordinis censentur testes magis idonei, quam laici juxta dicta superius § VI. n. 180. Deinde quia « nullus idoneus testis in re sua intelligitur, » juxta textum expressum in can. *Si testes*. § *Nullus*. et § *Omnibus*. 4. q. 3. et l. *Nullus*, ff. h. t. cum similibus: hoc autem videtur fieri, cum sæculares in particulari sint capaces domini (quod secus accidit in regularibus) et bonum communitatis redundet in singula membra ejus. Tandem testimonium domesticum utroque jure reprobat; ut cit. can. *Si testes*. § *Etiam jure civili*, 4. q. 3. et l. 2. c. h. t. cum concordantiis: tale autem videtur esse illud, quod fertur a membro universitatis sæcularis pro ipsa contra extraneum. Atque ob has, et consimiles rationes, non desunt doctores oppositum tenentes; ut Aug. Aretinus. *Instit. de Rerum divis.* in princip. n. 1. quem secutus est Petrasancta *Singul.* 24. post. n. 4. cum nonnullis aliis, quos refert Farinacius cit. quæst. 60. n. 454. et Menochius lib. II. de *Arbitrar. judic.* cas. 106. n. 5. Verum his non obstantibus,

212. *Affirmativa sententia est tenenda.* — Resp. I. Etiam in causa universitatis sæcularis, vel alterius cujuslibet, possunt testes esse illi, qui sunt de universitate; adeo, ut cives v. g. pro sua civitate, oppidani pro suo oppido ad testificandum admittantur. Ita Abbas in c. *Insuper*. n. 2. h. t. Baldus c. *Tertio loco*. n. 4. de *Probat.*; Jason l. *Sed si hac lege*. § *Patronum*. n. 7. ff. *De in jus vocand.*; Menochius cit. cas. 106. n. 6. et seqq. Farinac. cit. quæst. 60. de *Testib.* n. 452. et seqq. citans alios, atque hanc conclusionem appellans verissimam, et communem.

213. *Universitatis sunt, non singulorum, quæ sunt communia.* — Ratio fun amentalis est: quia tales revera non ferunt testimonium in propria causa juxta illud l. *In tantum*. ff. de *Rerum divis.* ubi dicitur: « Universitatis sunt, non singulorum, quæ communia sunt civitatum: » et consequenter causa universitatis, non est causa singulorum. Accedit textus in l. *Sicut*. ff. « Si quid universitatis nomin. » illis verbis: « Si quid universitati debetur, singulis non debetur. nec quod debet universitas, singuli debent. » Unde, quod est commune in universitate, nullus potest singulariter dicere: Meum est; quinimo ista sunt contraria, scilicet, esse singulorum, et, esse universorum; quia non potest esse plurium in solidum, prout argumentatur Baldus cit. n. 4.

214. *Quando agitur de donatione, vel legato facto cuiquam universitati, etiam sæculari, possunt esse testes, qui sunt de illa universitate.* — Hoc ipsum declaratur inductione. Sic potest quis esse testis, qui est de universitate, etiam sæculari, quando agitur de donatione, vel legato eidem universitati relicto. Siquidem titulus donationis, seu relicti in ultima voluntate, non acquiritur singulis, sed toti universitati, l. ult. c. de *Sacrosanct. Eccles.* et l. *Civitatibus*. ff. de *Legatis* I. ubi illud, « quod ad divisionem singulorum civium relictum fuerit, » censetur esse relictum civitati. Felinus c. *Insuper*. n. 2. h. t. Farinacius cit. quæst. 60. n. 472. allegans plurimos alios; et concordant dicta superius n. 199.

215. *Idem dicendum de probatione confinii.* — Deinde, quando agitur de probatione confinii, admittuntur testes de communitate: quia non testantur in re propria, sed in ea quæ est universitatis, l. *In tantum*. § *Universitatis*. ff. de *Rerum divis.* et l. *Sed si hoc*. § *Qui manumittitur*. ff. *De in jus vocand.* Menochius de *Arbitrar. judic.* cas. 106. n. 5. Farinacius loc. cit. n. 487. Mascardus de *Probat.* concl. 395. n. 9. asserens, hanc esse communem opinionem.

216. *Et de probatione consuetudinis non solvendi decimas, gabellas.* — Tertio, testes de universitate admitti in probatione consuetudinis non solvendi v. g. decimas, vel gabellas, affirmarunt Felinus c. *Insuper*. n. 17. h. t. et Farinacius cit. quæst. 60. n. 594. allegans alios; et concordant dicta superius n. 202. Item, sicut testis de universitate admittitur ad testificandum pro ea, ita etiam admittendus est contra ipsam: tenetur enim